

CELEBERRIMI THEOLOGI
GOTTINGENSIS
CHRISTOPHORI
HEVMANNI
EPISTOLARUM
DE
SCRIBENDIS
EPISTOLARUM

GERMANIS
Eröffnete Meynung
Über die Episteln Pauli

AD
VIRVM MAXIME REVERENDISSIMVM
IO. FRIDERICVM
S. S. THEOL. DOCT. ET
PUB. PROFESSORVM
IAM IN
ACADEMIA EBERHARDINA
A. MDCCXXXIX.



NUNC VERO OB MATERIAE

VIENNAE
REC. PRELO HELLER

OLOGI ET PHILOGI
NGENSIS

ORI AVGVSTI
IANNI,
STOLA
DE
IBIS
RVM PAVLI

MANIS :

e Meynung :

Pauli geschrieben habe.

A D

ME REVERENDVM

CVM COTTAM,

DOCT. ET PROF. P.

M I N

ARDINA CELEBERRIMA,

XXXIX. SCRIPTA,



TERIAE IVCVNDITATEM

N A E

ELLERIANO, 1742.

IT IS THE POLICY OF THE UNITED STATES
TO OPPOSE SUCH ATTEMPTS

TO OBTAIN INFORMATION

RELATIVE TO THE
DEFENSE OF THE UNITED STATES

AND TO PROTECT THE NATIONAL DEFENSE

SECTION 1

IT IS THE POLICY OF THE UNITED STATES
TO OPPOSE SUCH ATTEMPTS
TO OBTAIN INFORMATION

RELATIVE TO THE
DEFENSE OF THE UNITED STATES

AND TO PROTECT THE NATIONAL DEFENSE

SECTION 2

IT IS THE POLICY OF THE UNITED STATES
TO OPPOSE SUCH ATTEMPTS

TO OBTAIN INFORMATION
RELATIVE TO THE
DEFENSE OF THE UNITED STATES



VIR

MAXIME REVERENDE,



ETSI Tuum Tibi in dul-
cem patriam reditum
iure ac libenter con-
gratulator, ipse tamen
latis habes cognitum,
magno mixtam esse gratulationem

A 2

hanc

hanc dolore. Eripis namque mihi
amicum sincerissimae fidei & colle-
gam duplici mecum colligatum vin-
culo, quo carior nec Damon fuit
suo Phintiae nec Isaiides Ionathani
suo. Quid in me quidem Tibi vi-
sum fuerit amabile, non satis intel-
ligo, cum omnia nactus sim medio-
cra: nisi forte iudicasti, id quod
res est, non mediocri me flagrare
amore Tui Tuaque in amicitia sua-
uissime acquiescere. Ego vero Te
cur amarem, cur obseruarem, cur
colerem, causam Tu mihi praebuisti
haud vnum. Colebas videl. strenue
vna cum omnis generis literis virtu-
tem, & virtutem quidem Christia-
nam, iustaeq; sic mensurae Te exhi-
bebas Theologum. Munere funge-
baris

baris Tuo ita fideliter, ita fortiter,
 ut non solum quotidie in cathedra
 sederes per plures horas, modo Phi-
 lologiae sacrae, modo Theologiae
 praecipua exponens, verum etiam
 saepenumero in Academicam Te
 conferres palaestram, elaboratissi-
 masque Disputationes in lucem
 proferres publicam. Effecisti ea re,
 vt nostrae Academiae Timothei
 Te amarent pariter & admiraren-
 tur, ac eruditissima Tua opera v-
 terentur inter applausus maximos.
 Plura dicerem, nisi turpe habere-
 tur, amicum in os laudare, & qui-
 dem publice. Nihil ideo mihi
 superest, quam vt cum faustis Te
 dimittam votis atque omnibus,
 DEVMque precer etiam atque et-

iam, vt domum Te reducat sospitem & incolumem, viresque Tibi sufficiat, vt maxima praestare queas cum Academiae Eberhardinae, tum vniuersae Ecclesiae officia. Paucis cum *a*) PAVLO dico :

Ἡ χάρις μετὰ σοῦ. Ἀμήν.

AT nondum Te dimitto, VIR CELEBERRIME, sed, cum colloqui consueuerimus de argumentis fere Theologicis, & vterque nostrum singulari incumbat studio in sacrorum librorum interpretationem, nunc quoque aliquid huius generis antea, quam dicam VALE, Te arbitro edifferam Tuoque subiiciam iudicio. Non est autem, quod ex aduersariis meis hermeneuticis aliquid congeram solliciteque digeram, cum in promptu sit observatio his diebus mihi nata, cum cursoria, quam vocant, sacri codicis lectio me perduceret ad alteram PAVLI ad Corinthios Christianos epistolam.

LIBRARIUS SVB

a) 1. Tim. VI. 21.

SUBSISTEBAM videlicet in ipso huius epistolae vestibulo, cum mirabar, duos hic nominari scriptores eius, cum, vnum Paulum eius esse auctorem, nemo dubitet, nec dubitari videatur posse. Cum igitur solius Pauli fluant verba hac in epistola, quid, quaeso, causae impulit Apostolum, inquiebam mecum, ut suo hic nomini iunctum vellet *Sosthenem*? Huc illuc versata cogitatione tandem in hac acquiesco sententia, ut putem, Sosthene scriba huius epistolae usum esse Apostolum, cumque is esset vnus e claris doctoribus Christianis, id ei honoris tribuendum censuisse, ut ipsius nomen suo adiungeret in ipso epistolae initio. Confirmabar in hac sententia, cum recordarer, non solum plerasque suas epistolas Paulum aliena scripsisse manu, sed etiam illius scribae, per quem *Epistolam ad Romanos* exararat, in illius epistolae exitu extare voluisse mentionem. Hic enim iussu Pauli (quis dubitet?) fini illius epistolae haec verba v. 22. intexuit:

Ἀσπάζομαι ὑμᾶς ἐγὼ Τεῖτιος, ὁ γράψας τὴν β) ἐπιστολὴν ἐν Κυρίῳ.

Non

b) Memini, me alicubi legere, in bibliotheca Palatina fuisse ἀυλόγραφον Paulinum epistolae ad Romanos. Sed patet ex his Tertii verbis, illud ἀυλόγραφον nunquam fuisse in rerum natura.

Non autem hinc solum apparet, Paulum non scripsisse sua manu hanc epistolam, sed ex eo etiam, quod finita ea v. 24. per ἁμὴν tres versus sua ipsius manu subscripsit, idem iis ἁμὴν adiiciens. Quae observatio si venisset in mentem illis Theologis criticis, qui tres hosce versus hinc tollendos atque ipsi epistolae inserendos iudicarunt, BEZAE, KNATCHBULLO, HAMMONDO, CLERICO, statim abdicaturi erant suam sententiam: maxime si advertissent, aliis quoque in epistolis suis, quas dictavit alieno excipiendas calamo, idem fecisse Apostolum.

STATIM prior illa ad Corinthios epistola id facit manifestum. Nam finita ea c. XIV. 20. haec sua manu subiicit Paulus: ὁ ἀσπασμὸς τῆ ἐμῆ χειρὸς παύλας, clarissime indicans, priora manu sua haud fuisse exarata. Et quis iam dubitet, tres item sequentes versus effluxisse ex ipsius Apostoli calamo? Iam cum non ipsemet scripsisset hanc epistolam, pro sua humanitate mentionem scribae, Corinthiis quippe haud incogniti, aequae facturus erat, ac fecit postea in illa ad Romanos data. Verum, cum non e vulgo Christianorum esset SOSTHENES, sed συνεργός PAVLI, initio statim suae

suae epistolae scribam hunc eius vna secum nominari voluit.

IDEM obseruare licet ad *posteriores ad Corinthios epistolam*, cuius initio Paulo iungitur Timotheus. Nam huius manu scriptam eam fuisse, vt credamus, facile, quae diximus, nos adducunt. Ac proinde vix dubito, tres postremos huius epistolae versus adscriptos esse propria Pauli manu; id quod inde etiam colligo, quod abrupta haec sunt verba, separatamque adhortationem exhibent, quam & salutatio finalis & pium votum excipit.

EPISTOLAM *ad Galatas* sua manu exaratam fuisse, clare docet Apostolus *cap. VI. II.* hoc ipso simul docens, se plures epistolas scribere alia manu, & hoc honoris ideo tribuere Galatis, vt eo certius cognito paterno eius in ipsos affectu digna se prosequantur & reuerentia & obedientia.

SED cum posteriori in epistola ad Corinthios additamento Paulinae manus praemittatur *λοιπόν*, & in *epistolae ad Ephesios cap. VI. 10.* etiam occurrat *τὸ λοιπόν*, indicio hoc mihi videtur esse, hoc

B

quoque

quoque το λοιπόν, & quae postea sequuntur, omnia esse Paulinum *Postscriptum*, ipsam autem epistolam ab alio fuisse mandatam literis.

EPISTOLAM ad *Philippenses* à Timotheo, qui v. 1. simul cum Paulo nominatur, exceptam fuisse ex ore eius, multo magis est perspicuum. Nam capitis postremi *versus 20.* clare finit hanc Epistolam verbo *Ἀμήν.* Alterum igitur *Ἀμήν* indicio est, ultimos tres *versus* esse subscriptionem manus Paulinae.

ILLAM, quae ad *Colossenses Christianos* missa fuit, epistolam non fuisse ipsius Pauli manu scriptam, ultimus eius *versus* tam liquido docet, ut nihil relinquatur dubitationis. ὁ ἀσπισμός, inquit, τῆ ἐμῆ χειρὸς Παύλου; hoc est, cum superiora exaravit manus aliena, nunc ecce mea manu subscribo salutationem votumque. Iure igitur statuimus, scriba usum esse Apostolum Timotheo, ineunte epistola nominato.

Nec dubito, hunc eundem Timotheum utriusque ad *Thessalonicenses epistolae* scribam fuisse. Certe neutram fuisse exaratam Pauli manu, facile

le cognoscitur. Nam posterior ipsa clamat, duos postremos suos versus Paulum habuisse scribam, ita postscribentem: *Saluto vos hac mea ipsius manu, ut hinc cognoscatis, Paulinam hanc esse epistolam. Ac singulis meis epistolis mea manu subscribo. Scitote igitur, haec verba una cum adiecto voto mea scribi manu, cum praecedens scriptura sit diversa, ab alio scilicet profecta, cui hanc epistolam dictavi.* Nunc igitur facile est ad credendum, priorem suam ad Thessalonicenses epistolam dictare desisse Apostolum *cap. V. 23.* qui versus eximium votum finale exhibet; & deinde sua manu adscripsisse, quae sequuntur abrupto neque cum prioribus cohaerenti sermone. Nec dubitare possumus, cum recordamur, Paulum in exitu posterioris epistolae Thessalonicenses docuisse, *sua se manu subscribere singulis suis epistolis, καθ' ἑαυτὸν ἐπιπέσει.*

VNA restat dubitatio, quam parit praefatio epistolae vtriusque. Vtrobique enim praeter Paulum & Timotheum Sylvanus nominatur siue Silas, vir magni in prima Ecclesia nominis magnorumque meritorum. Verum magnum illud discrimen, quod inter Sylvanum ac Timotheum in-

tercedebat, facile hunc scrupulum nobis adimit. Erat scilicet Syllanus magnus ac summa auctoritate pollens doctor, Paulique collega c) non admodum inaequalis: Timotheus contra inuenis erat Theologiae, vt hodierno more loquar, Studiosus. Quapropter *filium suum* vocat eum Paulus 1. *Tim. I. 2.* & 2. *Tim. I. 2.* ex more illo veteri, quo doctori *patris*, discipulo *filii* tribuebatur titulus. Imo pro *seruo* solebat eo vti Apostolus, id quod clare perscriptum legimus *A. Cor. XIX. 22.* modoque in Macedoniam mittebat eum, modo aliam ad Ecclesiam: quale ministerium etiam Tychico d) demandare solebat. Quid iam mirum, seruire quoque murus scribendi ea, quae Paulus dictabat, subinde ab eo ipsi fuisse iniunctum? Nec est proinde, cur dubitemus, vtramque ad Thessalonicenses epistolam scriptorem vel potius scribam habuisse Timotheum.

SEQVUNTUR nunc Paulinae *ad Timotheum Titumque epistolae*, in quibus nullum mihi occurrit alienae manus indicium. Quare credendum puto,

c) Vid. Aët. XVI. 19. 25. 29.

d) E. g. 2. *Tim. IV. 12.* & *Tit. III. 12.*

puto, ipsius Pauli manu fuisse eas exaratas: cuius rei causam postea spero me esse inuestigaturum.

SUPEREST brevis illa *ad Philemonem epistola*, quam & ipsam ex ore Pauli scribendo excepisse Timotheum, primus mihi versus persuadet, in quo is Paulo adiungitur. Nec miror, sed doleo potius, aliena manu utendum fuisse Apostolo. Erat enim, id quod docet versus primus & nonus & decimus & decimus tertius, *ἐν τοῖς δεσμοῖς*, catena manui circumdata. Quare aegre ea scribere poterat, quæ scribere ipsi necesse erat, versum videl. 19. datum scilicet Philemoni chirographum secundum iuris ciuilis regulam. Caetera, quae praecedunt hunc versum, quaeque sequuntur, à Timotheo esse exarata, ne ob id quidem dubito, quod v. 21. occurrit *ἔγραψα*. Quod enim per alium facimus, id nos ipsimet facere dicimur & iure & more communissimo.

HAEC mea solius meditatione peruestigata cum perscripsissem, faciendum mihi existimaui, ut aliorum ad Paulinas epistolas commentarios inspicerem, si forte sententiae meae robur adderet

consensus virorum eruditissimorum. At cum nec in Grotii nec Calouii nec in communis amici nostri, Ven. VVolfii, ad Pauli epistolas annotationibus reperirem penitioem in hanc quaestionem ingressum, adire plures superfedi. Vnus tamen meae sententiae adstipulator se mihi obtulit, Io. Henricus Suicerus. Hic enim in suo *in epistolam Pauli ad Colossenses Commentario*, Tiguri 1699. edito, pag. 3. ita scribit: *Apostolus Timotheum sibi in inscriptione Epistolae huius iungit, quia Timotheum sibi praesentem miro earundem veritatum comperit flagrare amore, & forte illius opera, tanquam amanuensis, usus fuit; ipsi quin etiam Colossenses cognouerant, eum τέκνον γνήσιον Apostoli esse.*

APPARET quidem, non meditatam, sed fortuitam, ac praeterea inter plures fortuitas interiectam, hanc esse coniecturam. Tamen vel ideo eam amo, quod me est antiquior, meaeque sententiae nonnihil auctoritatis affricat. Si quis plures mihi indicauerit in eandem iamdudum ingressos sententiam, gratissimum mihi faciet, meamque mihi meditationem reddet placantioem. Quanquam spero, etiamsi desint mihi antecessores,

res,

res, Compluribus eam placituram ob non contemnendam firmitatem fundamenti, cui superstructa est:

RESTAT, ut quatuor quaestiones explicem, quae non mihi solum occurrerunt, sed aliis etiam videntur occursurae. Prima hanc est: *Cur non ipse sua scripserit manu Apostolus, sed fere semper per alium?* Enimuero credibile est, Paulum, cum in vinculis esset, ideo dictare solitum esse scribenda, quod scriptio valde ipsi esset incommoda & molesta. In carcere autem scripsit epistolam *ad Epheios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem.* Ut vero etiam alias plures alia vellet scribi manu, fortasse id causae fuit, quod ipse assueuisset scripturae minus legibili. Atque ita in promptu fuerit respondere ad secundam quaestionem: *Cur tres illas ad Timotheum Titumque epistolas exararit ipsemet?* Scilicet hi Pauli discipuli ac familiares manum ipsius habebant cognitissimam, ut nihil in eius scriptura esset ipsis obscurum. Quanquam & hanc tuapte manu istas scribendi epistolas videtur habuisse causam Apostolus, quod essent initio solis illis scriptae, (*vertraute Briefe,*) nec nisi

nisi post aliquot aristas cum caetero Christiano-
rum orbe communicandae. Certe difficile est
ad credendum, Paulum à Cretensibus legi vo-
luisse, quae in *epist. ad Titum I. 12. & 13.* perserip-
ferat. Ac illud quoque animaduersione dignum,
quod Paulus non vniuersae Timothei ecclesiae,
sed soli Timotheo, salutem dicit fratrum nomi-
ne 2. *Tim. IV. 21.*

TERTIA haec est quaestio: *Cur aliquot episto-
larum scribas non indicarit nominatim Apostolus?*
ad quam facilis est responsio. Vt scilicet scri-
bis tum fuerat obscuris hominibus, quos nomi-
nare plane superuacuum erat futurum. *Sosthe-
nem* autem ac *Timotheum* ideo nominatim lau-
dauit, quod essent illis ecclesiis, ad quas daban-
tur epistolae, cogniti non solum ob virtutes
Christianorum communes, verum etiam ob of-
ficia Ecclesiis praestita docendo pluribusque mi-
nisteriis. *Tertium* vero in *epistola ad Romanos*
data propterea nominatum voluit, quod esset
homo Romanus, Christianis Romae viventibus
non minus cognitus, quam *Sosthenes*, homo
Corinthius, *Corinthius*.

QUARTA denique haec est quaestio : *Cur Paulus epistolis suis aliena manu scriptis semper aliquid suapte manu subscripserit ?* Responsio autem ex ipsius Apostoli 2. *ad Thessal. II. 2. & III. 17.* peti debet. Erant videlicet iam illo tempore tantae audaciae homines, qui sustinerent effictis ab se epistolis nomen praefigere *Pauli*, atque ita verba dare permultis. Quare faciendum duxit Paulus, ut suis per alium scriptis epistolis suam ipsius adidiceret manum instar sigilli. Ac iam à Ioanne Apostolo castigatum fuisse presbyterum quempiam, qui Paulo subiecerat librum à se compositum, è Tertulliano refert Hieronymus in *Catalogo scriptorum ecclesiasticorum capite 7.*



C

Vale,

V A L E , V I R
V E R E N D
sterum certiss
N O , e i q u e

Ἰὸν καὶ πῶλον πε

XXIX. M



VIR MAXIME RE-
 NDE, Amice & in po-
 ertissime, vale in DOMI-
 que Te praestare *εργάτην ἀγα-*
σόν perge. Gottingae
 IX. Maii MDCCXXXIX.

